

Nf. 12



19  
1800

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
P R O R E C T O R  
GEORGIVS FRIDERICVS  
M E I E R

PHILOSOPHIAE PROF. PVBL. ORDINARIVS  
ET ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALIS

NEC NON EIVSDEM

D I R E C T O R  
ET RELIQVVS  
S E N A T V S A C A D E M I C V S


ANNA SACRA

P A S C H A L I A

AD D. VI. APRILIS

INDICANT

ADDITA COMMEMORATIONE  
CONATVVM HENR. GVILIELMI LVDOLFI  
CIRCA ECCLESIAE ORIENTALIS SALVTEM  
INDE AB ANNO MDCCCIII. VSQVE AD ILLIVS OBITVM.



HALAE MAGDEBVRGICAE LITTERIS HENDELIANIS.

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the word "DIRECTOR" and "ACADEMICUS".





ogatu Thomæ *Nuridgiani*, Armeni, Archiepiscopi  
Nachtshivani, scripsit fratri, Lucae Nurid-  
giani, in Hispania degenti: „Ante aliquot an-  
„nos fratri tuo, hic, Amstelodami, innotueram;  
„atque non ita pridem rever. . . patrum tuum  
„hic quoque, magna cum animi voluptate, ex-  
„osculatus sum. Deo gratias ago, quod huic viro consilium in-  
„spiraverit vos in Europam adducendi; quo, in emolumentum  
„gentis ac ecclesie vestrae, atque ad necessarium inter orientem &  
„occidentem spirituale commercium aptemini. Sicuti ad edendos  
„devotioni *inservientes* libros frater tuus *hucusque* felici succes-  
„su incubuit: ita nunc *ex animo* opto, ut, pro *optimi* . . . patriui  
„vestri desiderio patriam propediem revisatis; ibique *tanquam*  
„vasa misericordiae (*divinae*) inter populares vestros luceatis. Qua-  
„re non potui, quin patriui tui *precibus* morem gererem; (*si vult*)  
„ur te hortor, quo matures iter, atque *quamprimum* ad ipsum te  
„conferas. Erga optime de te meritum atque *solicitudine vere*  
„*paterna* te amplectentem virum officium tuum, etiam me non  
„monente, te satis stimulat, ut *ad ipsius voluntatem* te *confor-*  
„*mes*; inprimis si expendas, quod *concreditas* tibi *dotes* facilius  
„& iucundius in patria, quam extra patriam, ei, cui omnia debentur,  
„tur, devovere possis. Te autem *ignorare* non arbitror, quanta  
„nobis



„nobis obtingat felicitas, si verum vitæ nostræ scopum probe men-  
 „ti infigamus, non nobis, sed Deo vivere cupiamus, atque omnes  
 „terrestres & carnales illecebras gloriæ divinæ postponamus.  
 „Suadent insuper fugam in orientem tristis Europæ status atque in-  
 „graveſcentia undique mala; non obscure indicantia, instare fu-  
 „nestissimas a Daniele & Christo prædictas calamitates; quibus  
 „Deus protervum sui . . . contemptum ulturus, atque mundanorum  
 „animorum idola destructurus est. Servet te Deus in maximis  
 „horum temporum periculis; atque incolumem te eripiat inten-  
 „sissimis tentationibus, quæ in ultima hac periodo, secundum ef-  
 „fatum Christi, ipsos Dei electos in discrimen adducent. Quem  
 „in finem benigno sancti spiritus regimini te sincero animo com-  
 „mendo. Vale. „

A die 1. Januarii usque ad diem XVIII. Aprilis cIoIoccv.  
 in Belgico fœderato commemorabatur. Tum Seraphimo, Græco, scrip-  
 „psit: „Hæc Tribbebovius, Anastasi contubernalis, Grammaticam  
 „græcæ lingue vulgaris edidit: cui in fine addidit V. VI. & VII. Cap.  
 „Matthæi e Novo Testamento tuo; & Dialogum de Christianismo  
 „vero: qui in omnibus ecclesiis valde hucusque neglectus est.

Heringium, cum hic esset Constantinopoli, ita monuit: „Si  
 „hac ratione (*quam descripti Ephes. IV, 2. officii christiani suppedi-*  
 „bit consideratio) animum Metropolitæ, Chrysanthi, tibi devincire,  
 „atque auxilio divino (*adiutus*) ipsi veri Christianismi ideam, in  
 „transformatione in imaginem Domini, consistentem, inspirare pos-  
 „ses; ita ut ille viam provehendi regni divini in sua ecclesia iniret:  
 „optime de Ecclesia universali mereri posses. Si enim ille vir Spi-  
 „ritus sancti virtute indolem mentis mutaret, atque dores suas na-  
 „turales Deo devoveret; multum utilitatis ex illo Ecclesia sibi pol-  
 „liceri posset. Saluta, quæso, illum officiose meo nomine; & dic:  
 „me ipsi obligatum; non solum pro litteris commendatitiis, qui-  
 „bus me in orientem comitabatur; sed etiam, quod Moscoviæ pri-  
 „mus cogitationes itineris mei orientalis confirmasset &c. Saluta  
 „quoque Metropolitam, Kysicum; & certiorum ipsum redde, me  
 „sem-

Græco scripsit, Epist. scripta est d. 7. Mart.

Ita monuit, epist. scr. d. 1. Mart.



semper honorifice amici ipsius affectus erga me mentionem face-  
re. Vna epistolarum eius, qua pro transmissio Macario gratias  
agebat, aliquam mihi faciebat spem, quod christianismum ve-  
rum noscere inciperet. Quosunque alios invenis, qui me no-  
runt, illis cunctis amice meo nomine dic salutem.

Seraphimo, nunc in Russia versanti: „Postquam praterito  
autumno huc (in Belgicum) reversus eram, scripsi ad te; sed cum  
(in) tanta locorum distantia epistola facile amitti possit, denuo ad  
te scribere in animum induxi: spem aliquam adhuc retinens,  
quod misericordia divina (ex) te tandem instrumentum, ecclesia  
utile, effectura sit; postquam experientia edoctus fueris, quam  
callide amor sui optimis nostris destinationibus se immisceat; &  
quomodo Deo displiceant omnia caepa nostra, e fiducia virium  
ingenii nostri, sive ex studio mundano proficiscencia. Non est  
res adeo facilis & parvi momenti, secundum praecipuum Christi,  
suam vitam relinquere; ut novam vitam, quae ortum in Deo ha-  
bet, adipiscamur, sicuti iam in hoc luce divina indigemus, ut co-  
gnoscamus, qua ratione vita nostra naturalis coram Deo mors  
reputetur, secundum verba Christi: snite mortuos sepelire mor-  
tuos suos. Si enim Christus est fons vite, & vita ipsa; sequitur,  
quod, qui non invenitur in Christo, sit extra Christum & vitam,  
adeoque adhuc captivus teneatur in morte, sive tenebris. Non-  
dum autem est in Christo, quem Spiritus Christi non regit: ille  
autem non regitur a Spiritu Christi, qui demissi animi, candoris &  
simplicitatis, Deum unice quarentis, expers est. Demisso animo  
valde adversatur fiducia intellectus, sive astutia; candori contra-  
ria sunt non tantummodo mendacia, sed etiam omnis generis si-  
mulationes: & simplicitatem, seu purum a Christo laudatum ocu-  
lum. . . nondum cognoscimus, quamdiu propria commoda aequae  
gloriam Dei in actionibus nostris respicimus. Si aliquam in-  
dignationem in animo sentias, dum haec legis; certus esto, quod  
admonitione hac indigeas: si vero fraudem corruptae naturae, tam  
alte infixam, misericordia divina, (adiutus) cognoveris, eaque am-  
plius te ipsum non decipias; gratias Deo ages, quod tibi fidelem

A 3

ami-

Seraphimo, epist. ser. d. 7. Mart.



„amicum largitus sit, qui tanta (*cum*) sollicitudine de felicitate  
 „tua, quod liqueat, habere exoptet. Vidi epistolam, quam Narva ad  
 „Legatum Danicum scripsisti: in qua lingua latina paulisper ob-  
 „livisci videris. Facile conijcere potes quod . . . Legatus Russicus  
 „aliquantulum miratus sit, quod *gratum* animum erga ipsum ali-  
 „qua epistola non ostenderit. Bonæ indolis homo omni studio  
 „cavet, ne aliquem beneficiorum collatorum pœniteat; neque tu  
 „ignoras, quot populares tui malam de gente tua existimationem  
 „in hisce terris post se reliquerint &c. (*Christianismus verus*) in  
 „omnibus ecclesiis valde *hucusque* neglectus est: ita, ut nucleus re-  
 „ligionis christianæ, nempe novus homo internus, sive transfor-  
 „matio in imaginem Domini, (*quid sit*), a paucissimis intelligatur;  
 „multo minus experientia viva cognoscatur. Sicuti novus homo,  
 „& regnum Dei, (*quod est*) intra nos, eadem res est: facile patet,  
 „quam pauci regnum hoc Dei possideant; si expendamus, quam a-  
 „lieni a iustitia Dei sint optimi etiam inter *hodiernos* Christianos.  
 „Nam iustitia Dei æque ac sanctimonia in *eius voluntate, amoris*  
 „plena est: & ille homo iustitiam Dei est adeptus, in cuius intelle-  
 „ctu lux divina est norma vitæ, secundum quam voluntas *sua* mo-  
 „vetur per virtutem, *vita effectricem*, in illa luce absconditam;  
 „ita ut novus homo non amplius *sequatur (vitiosam) suam* volun-  
 „tatem, sed voluntas divina facta sit ipsius voluntas. *Ista* iustitia  
 „Dei continetur pax, sive *coniunctio* cum Deo, quæ gaudium in  
 „Spiritu sancto parit; ita, ut hoc modo regnum Dei sit iustitia,  
 „pax & gaudium in Spiritu sancto. Hoc ut in anima tua manife-  
 „stetur, auxilium gratiæ cælestis, propter meritum Salvatoris no-  
 „stri, (*obtingentis*) ardenti suspirio tibi apprecor. Vale. „

Franckio: „lator *epistolæ* huius . . . Alexander *Helladius*, studio-  
 „rum gratia Halam petens, spem mihi facit, quod unice curas suas  
 „eo intendet, ut, *opitulante* divina gratia, vas divinæ misericordiæ  
 „evadat: quo fratribus suis in ecclesia græca manus præbere possit  
 „ad ingrediendum viam vitæ; in qua, per veram *penitentiam* &  
 „vivam fidem, transimus e tenebris in lucem, atque ex *corruptio-*  
 „ne in integritatem. In nuperis litteris meis petii a te, ut *ei de*  
 „cibo

Franckio, epist. scr. d. 28. Mai.





„cibo, parvo pretio parabili, prospicias; nam de nutrimento ani-  
 „mæ potius, quam corporis ipsum sollicitum esse spero. Et si  
 „consilio tuo, vel ullo alio auxilio, ipsi adesse possis, quo scopum  
 „suum obtineat, & ad *amplificandam* divinam gloriam idoneus  
 „reddatur; me æque exhilarabis, ac voluptatem ipse percipies, si  
 „eiusmodi officio (quod) fidum Christi servum (adeo) decet (fun-  
 „gi velis &c.). (Inter bonos,) ab aliis mihi (commendatus est Ph-  
 „lippus Agape, mercator Uraislaviensis.)

Vixit Ludolfus ad V. usque diem Februarii cLoDccxi. sedulo,  
 quantum per afflictam valerudinem lieuit, pergens in studio ec-  
 clesiæ orientalis iuvandi emendationem. Fructus studii a morte  
 eius quotannis erexit, nec etiamnum desinit capere incrementa.  
 Unico specimine id illustrabimus.

In cætu Jacobitico Damasceno natus Salomo Negri, consilio  
 Ludolfi, ut supra dictum est, permotus, regniq; divini noticia  
 ab eodem rectius imbutus, rei christianæ sincerioris in exteris re-  
 gionibus, iis maxime, ubi sermo intelligitur arabicus, provehendæ  
 subsidia & instrumenta in Germania & Anglia paravit.

De hoc viro post obitum Ludolfi Antonius Guilielmus Beh-  
 mius, in aula Britannica concionator euangelicus, scripsit ad Rei-  
 zium, reformatæ ecclesiæ theologum: „*Consilia eius (Henrici*  
 „*Guilielmi Ludolfi) de invivanda religionis causa in terris orientali-*  
 „*bus, & imprimis (in) Palæstina, hisce Reliquiis Ludolfianis inserta*  
 „*deprehendes, ex quibus mentem eius perspicere poteris. Uti-*  
 „*nam alii id reipfa præstarent, ad quod, (peragendum) ipse viam di-*  
 „*gito quasi indice monstrabat; quodque Societati Anglicanæ de*  
 „*propaganda (Christi cognitione sollicitæ)... proponebat. Sed de-*  
 „*sunt nobis viri, alienæ a partium studio sapientiæ amantes; & de-*  
 „*erunt porro, nisi divinitus (parentur, &c.) ad tanti momenti nego-*  
 „*tium digne præparentur. Inordinatus circa religionem fervor,*  
 „*qui ecclesiam Anglicanam, iusta Dei vindicta, pervasit, eiusmodi*  
 „*conatus in ipsa, quod aiunt, herba, suffocat. Det nobis meliora*  
 „*Deus, & ex chaos rudi & tenebricoso, potenti suo (verbo,) fiat,*  
 novam

Uraislaviensis Sn. 16.  
 post obitum, d. 24. Jul. cLoDccc xliii.



„novam tandem creationem *conficiat*, quæ imaginis *divinæ* cha-  
 „racteres perfectius representet! Destruat ille etiam in nobis ma-  
 „gis magisque, quicquid de veteri restat creatura, ut nova reno-  
 „vetur in dies, & (*ex vitiositatis reliquiis*) in meliorem vitam e-  
 „mergat. „

Anno c1010ccxv. *Bœhmus* hæc ad *Pritium*, theologum Fran-  
 „cofurtensem, perscripsit: „*Præterita hebdomade* quidam *Salomo*  
 „*Negri*, relicta *Anglia*, *Hollandiam* petiit; illinc *Halam Saxonum*  
 „aditurus, ubi ante complures annos linguas orientales docuit  
 „&c. (*Antea eo venerat Henr. Guilielmi Ludolphi suasu. Postea*)  
 „relicta *Germania*, *Venetias* accesserat: unde *Reipublicæ (huius)*  
 „ad *turcicum Imperatorem* Legato junctus, *Constantinopolin* (*venerat,*  
 „*ibique*) aliquot annos commoratus erat: tandemque, post  
 „varios casus, delatus *Romam*, (*hic*) linguam *Arabicam*, aliasque  
 „(*linguas*) dum licuit, docuerat. Dico, licuit. Ingruente enim  
 „denuo *future ad sacra pontificia sollicitationis* periculo, *Anglica-*  
 „nam navem in portu *Liburno* conscendit, quæ ante aliquot heb-  
 „domadas ad nostras illum detulit oras. Feci, quod potui, ut  
 „stipendium aliquod hic ipsi procurarem: quo non modo habe-  
 „ret, quo toleraret vitam, sed occasionem insuper nancisceretur  
 „dotem suam, nempe *linguarum*, arabicæ, turcicæ aliarumque co-  
 „gnitionem in commune conferendi; imprimis cum bibliotheca,  
 „libris arabicis quodammodo instructæ, hic præsto sint; quales  
 „in *Germania* frustra fortasse quæsiverit: nihil tamen turbulen-  
 „tis hisce temporibus obtinere potui. Itaque auctor sui ipsi, ut  
 „in *Halensi* academia, inquam multi, quantum scio, ad studia con-  
 „fluunt, aliquot bonæ indolis studiosos ad solidiorem orientalium  
 „linguarum (\*) cognitionem perduceret; quippe quod suo tem-  
 „pore, quando ostium in *Oriente (divina)* aperiet providentia,  
 „magnum propagando evangelio emolumentum allaturum esse  
 „confido. Certe, etiamsi hoc tempore (*nihil aliud perfici posset,*  
 „quam

Perscripsit epist. ser. d. ult. Mai. *Bœhmens erbauliche Briefe* 421.

(\*) Hoc fecit; docuitque linguam arabicam usque in adultam anni se-  
 quentis autumnum. Ego etiam tunc discipulus eius fui, & si-  
 mul contubernalis.



„quam ut) Novum Testamentum in linguam Arabicam vel Turci-  
„cam converteret hic Damascenus; vel factas iam versiones, a  
„mendis suo studio repurgatas, denuo ederet: tempus hoc sar be-  
„ne (ab illo) locarum esse arbitraret. Ipse enim ait: Turcicam  
„Novi Testamenti versionem, Seamanni cuiusdam opera hic in  
„Anglia concinnatam, & anno 1001. xvi. typis Arabicis im-  
„pressam, variis scaterere mendis; ideoque curatori omnino indi-  
„gere eam lima, si (velimus, ut) aliquo modo juvanda evangelii  
„causae inserviat. Quod vero te, clarissime vir, (in legenda) nar-  
„ratiuncula hac detineam, ratio est, quod Salomo Negri, antequam  
„Londinum relinqueret, Francosurtrum vestrum in transitu vide-  
„re decreverit, nisi fortasse in Belgico improvisa quaedam impedi-  
„menta hoc non patiantur. A me vero petiit, ut epistola ipsi  
„additum ad aliquem virum doctum pararem; quocum interdum  
„libere sibi versari liceat, eiusque consilio, pro re nata, uti. Id  
„quod his litteris praestare volui; nullus dubitans, quin peregri-  
„num hunc ac rarum in Europa virum, citra tuam tamen mole-  
„stiam, theologico subinde colloquio sis refecturus: quod per-  
„gratum mihi fore, & quantulacunque mea officia tibi vicissim  
„parata esse credas. „

Dum Damascenus iste in Germania rursus versabatur, disci-  
pulos instruxit: qui pluribus in locis litteraturae arabicae facti  
sunt propagatores; & nonnulli quoque eorum, ipsi vel per suos  
alumnos, in civitatem christianam non contemnendum intule-  
runt usum. In quo est is, quem Muhammedana natio, Indiam  
incolens orientalem, ex metropoli evangelica, Tranquebaria, cae-  
pit percipere.

Angliae postea reditus Salomo ille Damascenus toti chri-  
stianorum orientalium genti, cui lingua arabica familiaris est,  
profuit maiorem in modum. Auctor extitit typographiae con-  
dendae arabicae, in qua libri excuduntur sacri; horumque in ori-  
ente universo instituendae donationis. Quod institutum viro-  
rum bonorum societas suam fecit, & donis legatisque subinde  
illi additur incrementum.

Alius quoque Instituti pars, quae ad latius in Oriente vulgan-  
dum,



dum pleniusque impertiendum Evangelium spectat, ex Negriano enata est discipulatu; cui nostra qualiscunque servit opera; istam paucis his verbis sufficit memorari. Nuper etiam publice nuntiata fuit spes, fore, ut a potentissimo Danorum Rege par juvenum doctorum in Arabiam legetur; hi a nepote, ut ita dicam, Negriano Gœringæ ad opus suum præparantur. Haftenus uno declaravimus exemplo, quam fructuosus Ludolfi conatus, a morte quoque ejus, esse perrexerit, ac etiamnum pergat. Dum hæc scribimus, vir quidam juvenis communicat epitaphium, (\*) quod illi loco spectabili Londini positum est, hæc addens: se, illo perfecto, vehementer excitarum fuisse ad simile Ludolfino studium, inprimis intui-

(\*) En integrum Anglice::

Bless'd  
are the Dead, wick dye in the  
Lord. For the Rest from  
their Labour, and their  
Works follow them.

Henry William Ludolf was born at Erfort in Germany Dec. 20. 1655. was made Secretary to his late Royal Highness Prince of Denmark 1686. He obtain'd Leave to resign that Employment 1691. He went to Russia 1693. and to Smirna, Constantinopel, Jerusalem, Cairo, Alexandria &c. 1698. and 1699. He returned to London 1700, where he published the New Testament in Vulgar Greek 1703: He obtain'd the Knowledge of the most considerable Languages, which he constantly improv'd (together with his Travels) for the Good of the Church Univerſel, and dy'd in London January 25, 1711.

Now Ludolf rests, who liv'd a Pilgrim true:  
And whereſoe're he went had Heav'n in View:  
Like Moſes thro' the Wilderneſs he walk'd  
And ſtill to God he look'd, of God he talk'd;  
Hence his Seraphik ſoul was grown ſo bright  
He every Object round him ting'd with Light.  
From his Inſtructive Conveſe none cou'd part  
Without a wiſer Head, or warmer Heart.  
Faithful unto his God, his Prince, his Friend  
Fions his Life, and bleſ'd and calm his End.

Keep his Example, Reader! in thine Eye  
And live like him, if thou like him wou'd'ſt die.



intuitu linguarum & itinerum sacrorum; cum sibi jam in animo  
fuisset, ut ad hæc instituenda sumtus peteret a Principe, non  
solum hos sibi aliunde sine ambitu suo oblatos esse, datosque, sed  
campum sibi etiam longe ampliorem, quam ab illo potuisset nan-  
cisci, apertum esse, in quo jam lætissimus decurrat. Epiraphii,  
quod hic descripserat, servandi, qui inde in se profectus erat,  
stimuli causa, particulam latine inferimus: „Præcipuarum lin-  
„guarum consequurus peritiam, hæc constanter una cum itineri-  
„bus suis ad bonum ecclesie universalis amplificandum usus est,  
„&c. Nunc Ludolfus requiescit; qui vixit, ut verus peregri-  
„nator: & quocunque venit, cælum (*scilicet caelestia & æterna*) ha-  
„buit ante oculos. Mosis instar per deserta ambulavit loca, &  
„semper in Deum intuitus est, de Deo loquutus: unde mens  
„ejus Seraphica tam lucis plena evasit; circa quodcunque versata  
„est, id imbuit lumine: ex ejus doctrinæ & hortaminum fertili  
„colloquio nemo discedere poterat sine sapientiori mente, aut sine  
„animo ardentiori: fidus Deo suo fuit, Principi suo, suo amico:  
„pia extitit vita eius, beatus viræ finis, & tranquillus. „ Funus  
publico fere Anglorum nationis luctu cohonestatum est; episco-  
pi certe ei interfuerunt, suum & humani generis universi ami-  
cum, verum ac sapientem, non sine lærymis sepulcro inferri viden-  
tes, dolorem rennentes insepultum, desiderium mandantes  
posteritati. Hæc præfatis id nobis restat, ut in vobis, cives di-  
lectissimi, sacra sancte obeundi propositum efficere studeamus, ad-  
juvemus, intactumve servemus a contagione academice purga-  
mentorum. Ipsa illa copiose hæctenus inserta monita viri poli-  
tici, digna sane theologo amplissimi animi & studii, si serio per-  
penduntur, ad hoc non parum sunt collatura; plus tamen effici-  
ent publici sermones, ad quos pie & salutariter audiendos vos, ut  
patres decet, graviter ac amantissime invitamus. Adversus incu-  
riam & levitatem, quæ vestræ ætati periculose insidiantur, estote  
cauti; tempora intuemini, atque cum animis vestris considerate,  
in quæ nos videmus delatos. Meliora vulgus sperare incipit;  
sed qui peiora mereri pergunt, sunt multitudo, & qui sæculum  
faciant exemplo, ac illud obnoxium divinæ vindictæ corruptelis  
redde-



reddere nondum verentur. Meminimus Theologum senem, osorem alioqui vaticinæ vanitatis, tertio sæculi nostri decennio, eoram concione, cum talis iram divinam provocandi protervitas in urbe nostra ab ipso reprehenderetur, debita ei tempora tam distincte & ample, tam propinqua, tantaque cum fiducia denunciare, ut de viri auctoritate metueremus, eventu propediem apud superstitis prædicta destruturo: nam nullus tum probabiliter cogitari locus poterat, unde tanta tempestas cominus in capita nostra sit irrutura. Quod accurate evenerint prædicta, testari cum dolore cogimur; plura addere vetamur, nisi hoc, quomodo temporum illorum prologia cæcum suum noscere, & intellectis ad sporem animo excutiendum uti docuerit: „Omnes nunc, *ait*, & singulos rogo, „qui ad Theologiæ studium se contulerunt, quibus hæc legenda „offeruntur, ut sibi subjiciant, & apud animum proponant pœnas „& judicia divina, quæ nunc universum pæne terrarum orbem „plent atque obruunt, quæ tam varia tam magna, tamque perhor- „rescenda sunt. Premunt illa non modo vitam externam homi- „num, evastantque ac desolant bello, peste, fame, aliaque malorum „copia, & civitates & provincias & regna, sed ad animas quoque „pertingunt, & universam ecclesiam urgent, tanto maiora tamque „gravius extimescenda, quo magis ad animas hominum, quam ex- „ternam illorum conditionem pertinent. Ac prout accidere so- „let, ut ii, quos excæcavit malitia, nunquam arcana Dei agnoscant: „ita nostro etiam ævo, qui rerum externam modo speciem intuen- „tur, de suis autem aliorumque servandis animabus parum solliciti „sunt, tam singulare genus judiciorum divinatorum, etiam admoniti, „parum curant; sed hoc ipsum quoque ad illud judiciorum genus „pertinet, ut, cum adsunt, neque agnoscantur, neque magni momen- „ti existimentur, &c. Quamquam itaque nostro etiam ævo exter- „na Dei vindicis judicia parent omnibus, spiritualium autem pœna- „rum & judiciorum complura genera, quæ æque ac cætera a domo „Dei incipiunt, multorum visum atque sensus fugiunt, adsunt tamen illa, neque „prudenter latent, aut nihil ab illis penduntur. At vobis certe, qui Theolo- „giæ operam datis, minime omnium obscura esse debent. Conscientiis enim „quo pacto consulatis, si internum ecclesiæ statum, si maximum periculum, „quod animabus instat, si consilia & *voiquata* Satana minus perspecta habetis? „Quæstionem, optamus, vestra sequatur indagatio, admonitionem nostram ve- „strum obsequium, hoc fructus æternus! P. P. in acad. Frid. d. v. April. 1710.



Fc 322

ULB Halle

004 524 543


3



f  
h

MG









19  
1800

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
P R O R E C T O R  
GEORGIVS FRIDERICVS  
M E I E R

PHILOSOPHIAE PROF. PVBL. ORDINARIVS  
ET ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALIS

NEC NON EIVSDEM

DIRECTOR  
ET RELIQVVS  
SENATVS ACADEMICVS

ANNVA SACRA  
P A S C H A L I A

AD D. VI. APRILIS  
INDICANT

ADDITA COMMEMORATIONE  
CONATVVM HENR. GVILIELMI LVDOLFI  
CIRCA ECCLESIAE ORIENTALIS SALVTEM  
INDE AB ANNO MDCCCIII. VSQVE AD ILLIVS OBITVM.



HALAE MAGDEBVRGICAE LITTERIS HENDELIANIS.

